Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 549
Quelle:
Copyright:

ab illo quidem perorandi ſtilo dicta (al. *dictata*) *a nobis vero explanandi ſpecie translata ſunt.* Quae quidem *Rufini* verba dubium reddunt Lectorem, fidumne ille interpretem egerit, an pro arbitrio ſua miſcuerit, quod dubium, cum *Graeca Origenis* interciderint, tolli nequit. Harum porro *Homiliarum* jam *Caſſiodori* aevo XVI. numerabantur, ut ex C. 1. *Tract.* ejus *de inſtitut. divinar. Literar. liquet.* Prima nobis infit: *Sicut in noviſſimis diebus Verbum Dei ex Maria carne ueſtitum proceſſit in hunc mundum* &c. Reliquae jam *Libri*, jam *Homiliae* inſcribuntur. Textus, utut a ſecunda, quin tertia manu interpunctus et correctus ſit, ulterioris tamen emendationis capax eſt, ut e collatione cum Editis T. II. *Opp. Origenis Pariſ.* 1733. p. 184. f. cognovimus. Sub *Hom.* I. principium locus integer ab verbis, *ad ſacrificandum uitulos et agnos*, usque ad verba: *Sed melius eſt me nullo geſto incidere in manus ueſtras*, calamo Sec. XVI. ſubpletus eſt. Ultima finit: *et ſuum nobis ſuaue iugum fidei et caritatis et ſpei ac totius ſanctitatis impoſuit. Ipſi gloria in eterna ſecula ſeculorum. Amen.* Tum literis graecis, latinisque mixtis: ΗΓΩ ΦΡΑΘΗΡ ΛΗΩ ΑΘΡΑΜΗΝΘΑΧΙ VNC ΛΥΒΡΧΜ. ΗΘ CΩΜΡΑΗΧΥ VCQXH AΔ ΦΥΝΗΜ. ΔΗΡΡΗCΩΡ XΩC VΘ ΩΡΗΘΥC ΡΡΩ ΜΗ AΔ ΔΩΜΥΝΧΜ. AMHN. ΔΗΩ ΓΡΑΘΥAC. Quae lego: *Ego Frater Leo atramentavi hunc librum et complevi usque ad finem. Deprecor vos ut oretis pro me ad Dominum. Amen. Deo Gratias.* Vides literam H ubique ſonum E reddere, Θ ſemper pro T poni, Υ non raro pro I. ſingularem eſſe formam X pro V. C jam ut Σ jam ut K pronuntiandum, P jam *Rho*, jam *Pi* valere, Latinas eſſe V. et Q. Neſcio, quid ignotum hunc *Leonem* ad oſtentandam ſuam Καλλιγραφιαν graecam moverit. Monet illa Inſcriptionis ſepulchralis *M. Gordiani*, quae habetur *Romae ſubterran.* L. III. c. 22. et Numorum graec. Sec. IX. et X. quorum ἐπιγραφας exhibet *Montefalconius Palaeograph. Gr.* L. II. ſub finem c. 7. *Pag. ult.* adſcriptae ſunt *Orationes* quaedam ad Deum, ut per interceſſionem S. *Blaſii* Spinae aut Oſſa Gutturi infixa revellantur. *Origenis Homiliae* jam etiam *Cod.* praeced. indicantur.

CLXXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 67. 4. charactere minutiore perquam nitide exaratus, rubricisque decoratus ſequentia complectitur: *I. Homilias* III. *Origenis a Rufino Aquilej.* latine verſas, quarum prima inſcripta eſt minio: *Omelia XX. II. origenis de filiabus ſalphaat et de ſucceſſore moyſi.* Initium: *Quinque filie fuerunt. quarum etiam nomina in ſcriptura comprehenſa ſunt* &c. Addi debebat titulo: *In*